

num status acciperet, circumspiciebat scopulos, meminerat procellarū, & ab aquilone & ab austro venturasque præsa-giens tempestates, gubernator egregius, clauum commissurus inexpertis, quid mirum, si sollicitudinum variarum fluctibus æstuabat? tot difficultatibus rerum quæ vegetum licet, ac validum fatigare debuissent, moriens indefesso animi vigore consuluit. Primum omnium flentes ac eius conditionem miserantes, magnificè castigatos docuit, nil sibi triste, nil asperum, nil miserabile, nil mole-stum, denique nil nisi suaue prorsus & iucundum morte contingere: satis se iuxta Cæsaream sententiam, vel naturæ vixisse vel gloriæ, optare se iam ex corporis statione discedere, sperare ab hoc mortali folio digressum, ad stabiliora Regna proficisci: Minimè itaque lugendum, sed omni gaudio prosequendum iter suum. Quid multa? sic omnium gemitus oratione compescuit, sic omnem miseriarum mortis opinionem ex audientium pectoribus extirpauit, vt nunc vsque sese fœlices arbitrentur, quibus illum ex ipsa morte concionantem contingit audire, nec moriens cubiculo vllas
Phi-